TABACUM
CARMEN.

Auctore.

JOANNE BAPTISTA

GODEFROY

SOCIETATIS JESU.

Altera Editio.

916.

RPJCB

TABACUM.

QUÆ Tabaco placeat tellus, quæ cura colono
Conveniat, quantæ dotes, quibus utile morbis
Qui modus utendi, quâ pulvis gaudeat arte
Confieri, potior quæ[a] pyxis habenda, quis auctor
Hîc canere aggrediar. Vos ô quos gloria tangit
Artis Apollineæ, precor aſpirate canenti.
Diique Deæque omnes, veſtris ſi rebus honorem
Addo novum, Aonii deſerta ſub ardua montis
Ire mihi per vos liceat, nullique priorum
Tentatos facili curſu penetrare receſſus.
Tuque adeò cujus nutu quæcunque ſalubris
Herba frutexque viget, Medicinæ & Carminis auctor
Adſis ô Tymbræe, tuos recludere fontes
Ne pigeat, lymphisque humilem da creſcere plantam.

[a] Tabatiere.

Principio tellus Tabaco ſedeſque petenda
Quæ neque ſit ſabuloſa nimis, (nam ſicca moratur
Glarea creſcentes plantas) neque cautibus horrens,
Exiguum lædat nativo frigore ſemen.
Nec minùs illa nocet, pictis quæ ſæpe lacertis
Ima dedit latebras, nec te malè copia tophi
Occupet; at pinguem dulcique uligine lætam
Elige cautus humum, ſedenim pinguiſſima pingui
Herba ſolo gaudet, neque gratior altera ſedes.
Non aliam ob cauſam ſeu prima incœperit æſtas
Seu glacialis hyems curſus infrænet aquarum
Cenſuerim Tabacum Braſilos florere per hortos.
Hinc etiam Tabaci tantas mirabere vires
Virginea extremo nobis quod mittit ab orbe,
Virginea Hiſpanis hodie plaga culta colonis.
Ergo age ſi campum Tabaco veſtire laboras
Pingue bovis ſtercus ſtratum jactare per æquor
Ne pudeat, raſtriſque feraces frangere glebas,

Namque tuo veniet merces non parva labori.
Sed tu quiſquis eris, moneo, ne ſemina terræ
Ne prius immittas quam ſit tibi facta ſerendi
Copia, nî fuerit, lætam, ſpectabis in agro
Heu fruſtra ſegetem, vigilans, mihi crede, Redemptor
Audaci grandem expoſcet pro crimine mulctam.
Id metuens, Regem, dum fas eſt, ocyus amplam
Poſce facultatem & ſupplex venerare Napæas;
Nam variis diviſa licet ſua patria plantis,
Præſcribi Tabaco nullas voluere ſerendo
Præcipuè ſedes. Viden ut [m] Kaïum Indica tellus
Sola ferat, ſolis Americæ ut creſcat in arvis
[e] Caçaus, ut molles recreet jucunda Sabæos
[f] Cafæa, ut ſolis Aſiæ ſua [p] Thæa colonis
Thæa quies animi, nympharum Thæa voluptas:
At naſci Tabacum in toto quis neſciat orbe?
His animadvérſis quid ceſſas villice, dulces
Quæ te cunque tenet regio, deſcribere campos

m Arbre dont le fruit entre dans la compoſition du Cachou.
e Arbre dont le fruit entre dans la compoſition du Chocolate.
f Café.
p Thé.

Areolis ; pedibus verò longiſſima ternis
Areola in latum nunquam amplius ulla patebit.
Ut cum pulli aderunt tenues, aut truncus alendis
Omnibus eſt impar foliis, tum falce putator
Commodius vanum reſcindere poſſit honorem.
Curam autem ſapiens primoſque impende labores
Areolis ſobolem dignam mandare paratis.
Tres etenim Tabaci ſpecies quarum una vocatur
i Tabac mâle. Maſcula prole quidem fœcundior, ardua thyrſo,
At formâ inferior, guſtu aſpera, candida ſtirpe:
Pluribus illa ſolum fibris tenet, atque per auras
Explicat ingentes nodoſo è caudice ramos
Phœbæâ ramos nullus quos ſpernat in herbâ,
Frons apprima tenax, villisque hirſuta minutis
Deſinit in coni formam, tunc ornat aduncos
In morem litui lætiſſima purpura flores.
Altera caule minor, nec tam fœcunda, videntûm
Gratior eſt oculis : non olli candida radix,

Non olli sublime caput, sed pulcher amictus
Versicolor, semen croceum, folia arcta, colore
Sanguineo tincti flores glomerantur in orbem.
d Fœmineam hanc dicunt: u exilis tertia fertur
Exiles quod agat fibras, exilia ducat
Exili folia è trunco, levibusque comatur
Floribus ipsa levis, cubitoque nec altior uno.

d Tabac femelle.
u Petit Tabac.

Tu modò quam stattas in spem submittere campi
Selige, primam equidem reliquis præferre duabus
Non dubitem, specie major quia fructus in illâ est.
Nec te fœmineus capiat decor: ah! cave formam
In Tabaco quæras; quòd si tibi gratia florum
Sola placet, vanâque oculos vis pascere pompâ
Lutea malleolis, niveoque insignia cultu
Lilia, tulippæve tuo dominentur in horto.
Quærendi, in Tabaco fructus, in flore, colores.
Optima tunc satio est surgunt dum lucida Tauri
Sidera, & ignitos aperit Latonia vultus.

Quod supereſt, cuicunque decem immiſiſſe juvabit
Grana ſcrobi, numerum quando plerumque minorem
Vix reddit tellus; adeo ſunt tenuia grana!
At plantas, ne frigus iners, Euruſve recente
Torreat aut paleâ, aut viridi memor occule junco.
Pretereà quâ parte Aquilo movet horridus auras,
Saxeus aſſurget paries, Phœbuſque tepentes
Vibrabit radios, qua ſpirat mollior Auſter:
Urit enim Tabacum ventus gravis: urit acuto
Stricta gelu tellus, urit ſic frigidus aër
Ut primo intereat ſpes horti ah! frigore brumæ:
Nî foveas ligno incluſum, teſtâve rubenti;
Haud ſecus ac Citros tecti in penetralibus aptis.
Attamen aëriis nulli dum nubibus imbres
Deſcendunt ſterilesque novus ſol lædit ariſtas;
Proderit areolis gelidos inducere fontes,
Unde animam reddas, crebrâque aſpergere lymphâ
Ignea ſed ſiriens ubi tendet brachia cancer;

Villice,

Villice, tu frondes incidito falce novellas,
Intactas que decem, melius quò creſcere poſſint,
Omnis alat caudex; relinquam ſub pondere præli
Comprimito ſegetem; tum ſuccos incoque Baccho.
Quin coctum laticem ut ſerves, inſperge marini
Plurima grana [i] ſalis, radiceſque addito parcus
[l] Zingiberis, qualem Arcadium porrecta ſub axem
Arva ferunt, micaſque leves bene olentis [m] Aniſi.
Intereà torrens urit dum Sirius agros,
Dumque ſuam anguſtat frontem vaga Cynthia, carpes
Quotquot habent plantæ folia, immergenda parato
Si calidus fuerit, latici, atque madentia pandes;
Tum ſimul expaſſis ſuadebo imponere telas.
Quæ rubeus poſtquam infecit color: omnia lævi
Conſere trajiciens filo, exileſque memento
Diviſa in faſces ſpiſſis involvere pannis;
Quin etiam totus ſenſim ne deſerat humor,
Eligitur Phœbi radiis impervia ſedes.

[i] Sel marin.
[l] Gingembre Septentrional.
[m] Anis.

Nunc age quæ Tabaco virtus innata, quis uſus;
Dicendum, noſtri pars non poſtrema laboris.
Nam neque purpureo inſignis [n]Ranunculus ore;
[o]Gelſiminumve fragans, neque plena [p]Papavera ſomno
Nec Roſa, nec [q]Citrii flores, aut pallida Myrtus
Egregias Tabaci contendant vincere laudes.
Hanc neque ſuavis odor plantam, neque vana colorum
Gratia commendat, variis decora iſta relinquit
Floribus; aſt olli quod multò dicere majus
Auſim ego, Cœlicolæ donum tribuêre medendi.
Hâc Podagram, Hydropẽ, & Febrim, ſubitoſq; Vapores;
Hâc [r]Polipum Medici avertunt, hâc ulcera mille
Mille fovent plagas; hâc non præſentius ullum
([f]Lumina ſi quando clauſit [f]Lethargicus humor,
Sive modus fuerit [t]Tuſſi imponendus anhelæ
Auxilium veniet,) Phtiſis olli & [u]Pernio cedent.
Illa replet nervos, penetratque calore meatus;
Hæc caput impexâ fœdum Porrigine ſanat;

n Rénoncule.
o Jaſmin.
p Pavot.
q Fleur d'Orange.
r Polype.
f Lethatgie.
t Toux.
u Mule.

Hæc eadem immundas Peſtes, capitisque dolorem
Suſtulit & [a] Strumas, membris agit illa venenum.
Purior hinc ſanguis, movet hinc ſonus acrior aures,
Longius hinc oculi cernunt, hinc ora genaſque
Si turpes [n] Papulæ inficiant, rubor omnis abibit.
Nec mihi ſi libeat juſto comprendere verſu
Quot curet morbos, & nomina dicere quæ ſint,
Sufficiant unquam centum linguæ, oraque centum.
Quid memorem varios qui tritâ è fronde liquores
Exprimit, illimes quid [c] Aquas, Oleumque, [u] *Syrupos*que,
Exequar aut [m] Pilulas, [d] Suffitum, [q] Unguenta quid Orbes
Quid tibi [g] Chryſtallum? quid [p] Sal, & [r] Balſama dicam.
Quid qui ne molli noceat pituita cerebro
Dentibus haud dubitat vel ſiccas [f] rodere frondes.
Eſt quoque, (tam varios gens Indica repperit uſus)
Eſt qui fictilibus [c] conciſas indere frondes
Aſſoleat [b] tubulis, admotâque urere flammâ,
Unde trahat mixtâ undantem fuligine ſuccum.

[a] Eſcroüelles.
[n] Bourgeons.
[c] Eau de Tabac.
[u] Sirop.
[m] Pilule.
[d] Parfum
[q] Onguẽ
[r] Trochiſque.
[g] Criſtal.
[p] Sel.
[r] Beaume
[f] Tabac en machicatoire.
[c] Tabac en ſumée
[b] Pipe.

Vos ô cura boni ſi nominis, ulla remordet,
Ne pueri ne tali animos aſſueſcite fumo,
Quippe nigris circum volitans infamia pennis
Sæpius hunc ſequitur, ſedenim vapor ille tumentes
Bacchi inſtar venas inflat, mentemque ſolutam
Obruit, ac fracto paulatim corpore vires
Debilitat, mutatque comas animique vigorem.
Quodque magis miſerum, ſiquis conſueverit uti,
Abſtinet heu! nunquam; nihil aut diſpendia famæ,
Aut odor infeſtus prohibet, nihil ipſa ſenectus.
Ah! quoties vaſto in pelago, cum ſæva coorta eſt
Tempeſtas, tumidis que furit Neptunus arenis,
Attonitus fregit tubulos, & jecit in undas
Navita, ſed poſtquam pelagi cecidere fragores,
Mens redit ad Tabacum, nec longum tempus & ecce
Nil niſi dilectum ſpiravit, ut ante, vaporem.
Jam [t] Tabaci pulvis quâ debeat arte parari
Expediam paucis. [l] Meliloti in vaſa liquorem

[t] Tabac en poudre.
[l] Melitot

Desuper infundes, Tabàcumque subinde lavabis:
Phœbus ubi lotum siccaverit; illicò formam
Pulveris accipiat, quem raro incernere cribro
Triticeam veluti, fuerit tibi cura, farinam.
Tum blandis jubeo rursùs perfundere lymphis,
Lymphis quas habili prælo compressa dedere
[m] *Santalii* flores Citriique, ac [d] Indica ligna.
Pretereà tenuem [b] crati superinjice telam,
Pulverem ubi lætum exponas, tinctus que [u] liquore
Angelico arescat, Solis quâ parte coruscas
Submovet umbra faces; arentem rite capaci
Secernes iterùm cribro, tunc aëre detur
Liberiore frui, modico post tempore, in arcâ
Includendus erit, jussos huc denique odores
Gelsiminum alternans, Citriumque aspergito florem.
Sic omne emendas vitium, sic sulphuris acres
Igniculos minuis, sic olli blanda coloris
Gratia, sic dulci recreat perfusus odore.

m Santal.
d Bois d'Inde.
b Claye.
u Eau d'Ange.

Ne mihi displiceat ratio diversa parandi,
Vidi ego qui tritam Tabaco immiscere soleret
[r] Betonicam, aut [e] *Moschum*, vidi qui [m] Succina spargat,
[i] Helleborumque, Piperque, & acerbi grana Sinapis.
Nec te pœniteat magnum hîc posuisse laborem:
Optima res, Tabaci, Astræâ vel judice, pulvis.
Optima res pulvis quem tu vix naribus infers,
Quisque tibi assurgit, tibi prospera quisque precatur
Omnia, jucundis arridens quisque salutat
Vocibus, officio cerant ac plausibus omnes.
Quidquod & exiguo jucundi pulveris haustu;
Concessus si friget iners, mox redditur ori
Garrulitas, subeunt sensim nova gaudia mentem.
Sæpe etiam quibus ambiguæ sunt credita litis
Instrumenta, fori abjiciunt hoc pulvere curas.
Sæpe furens animis, ubi ventum ad prælia, miles
Colligit hinc vires, invictaque cornua sumit.
Sæpe, nefas! dum vota facit pro divite fundo

[r] Betoine
[e] Musc.
[m] Ambre.
[i] Helleborе.

Cæcilius, precis assiduæ quò tædia fallat
Audet hians strophium redolenti expromere perâ.
Vestra, quoque, ô magni, si quando, vestra, Poëtæ,
Vena effœta manet, divini pulveris haustus
Inspirat quoties flammas sacrumque furorem.
Singula sed quid ego referam? non plena salubri
Pulvere quæ pera in terris? plebs utitur, ipsi
Utuntur proceres, pueri, & veneranda senectus.
Illum adeò placuisse ipsis mirabere nymphis,
Insita seu virtus, seu laudis vana cupido,
Seu color alliciat, seu grati munus odoris.
At magnus ceciniſſe labor quas pyxidas usus
Extuderit. Placuere olim quibus [p] Antlia textæ
Aut [h] Indo frutice aut cornu solidove [n] Elephanto:
Rejice tu prudens, nam parvo infrigitur usu
Antlia, nec facilis Tabaco datur exitus, ipsumque
Extremis nunquam digitis libare licebit.
Venerunt aliæ quarum nunc crebrior usus

[p] Pompe.
[h] Coco.
[n] Ivoire.

p d'Email Auratæ, Vitreæque, & quo te, p Encauſtica, dicam
Carmine? nec rutilis ideò contende Smaragdis.
Sunt etiam perfectæ auri argentique metallo
Buxus & aſſurgit quibus, ipſe aſſurgit Jaſpis,
Agate. Chryſtalluſque micans, nec non pretioſus t Achates.
m Rape. Non ego te indictam m Limâque inſignis & hamo
c d'Ecaille de Tortuë. Tranſierim Cypria & c ſquamis Teſtudo coruſcis,
Cui non Dædaleo certet tornata labore.

Sed neque, quam multæ ſpecies numerare canendo
Nec varias auſim imprudens percurrere formas.
Nec verò eſt numerus; neque pyxidas omnibus omnes
Arridere putem, multi elegere rotondam,
Quadratam loculis alter gerit: ille rigentem
Cryſolitis, alios Argentea, Buxea parcum
Una juvat, Limis gaudet Mavortia pubes.

At tibi cumprimis, nitido ſignata metallo
Ante omnes placeat, quid enim quid blandius illâ?
Cernis ubi ſylvas, & aves, & amœna vireta,

Cernis

Cernis aquæ rivos, & opertum navibus æquor;
Quin & mista rosis candentia surgere credas
Lilia; deficere hîc Lunam, Solemque renasci
Dixeris; hinc Charitum saltat chorus, inde Jocorum.
At versus procul obsceni, & peccare docentes
Absint historiæ; procul hinc mordacia verba.
Quamquam ibi spirantes vultus, & splendida patrum
Stemmata solerti poteris describere cælo.
Hîc etiam spes & columen pietatis avitæ
Fingendus LODOIX Regum genus; inclyta gentis
Gloria, quo nunquam sub principe desinet ætas
Aurea, quo musæ, quo gaudent auspice leges.
Hic vir hic est cujus fulvo credenda metallo;
Effigies, sed qualis erat ter maximus heros
Quando neque ardorem, neque cœli incommoda, sævas
Aut hiemes metuens, per mille pericula victor
Ibat in adversas felici marte cohortes.
Hinc similem patri virtutis imagine natum,

Hinc & avo dignos, DELPHINO & patre nepotes
Cernere amem. Fac & domitas longo ordine gentes
In medio, Hiſpanos, Ligures, Belgamque ferocem
Teutonas, Hollandum, & maléfidâ mente Britannos.
Patte aliâ centum, menſem expugnata per unum,
Oppida ſculpe memor, diſcerptaque fruſta Leonum.
Captivum, hæc inter, frænato corpore Rhenum.
Conſpiciam, implumes Aquilas, laceratáque ſigna.
Contrà autem patriis Gallorum è finibus exul
Hæreſis, attritos nequicquàm lugeat angues
Dentibus infrendens, rigidiſque coërcita vinclis
Indomitos ponat, LODOICO vindice, faſtus.
Preterea ſeptem conciſas cladibus adde
Non procul hinc, ſociorum acies, captamque Nicæam
Adde Rhodam, Hannonias adde arces, adde tot urbes
Impoſitas fluviis, tot propugnacula nuper
Francigenûm quaſſata globis, ferroque ſubacta.
Tu verò ſæcli decus admirabile noſtri

Perge age juratas LODOIX in Lilia gentes
Adjicere imperio, & vanos ridere minantis
Europæ fremitus ; quid enim ſeptemplicis Hydræ
Alcidem contrà poſſit furor ? illa parentes
Agnoſcat quamvis Aquilam Batavumque Leonem
Hanc licet Alpino monti ſociata Pyrene
Sanguine lactârit, Tameſinaque monſtra ſequantur
Quo ſe cumque ferat, nunquam tamen illa vel uno
Polluerit morſu LODOICI Lilia Regis.
Vivite ſecuræ tanto ſub principe gentes.

Nunc cœtu in medio [n] tractandæ pyxidis artem
Noſſe velim. Tabaci completam pulvere dexter
Pyxida prome manu, lævâ tu deinde tenebis
Acceptam, docto intereà dum pollice tegmen
Contingens, reſerabis opes ; tum dona, coronam
Invitans, agito circùm ; jàm retrahe olentem
Pyxida ſubridens, pateat modo ſemper aperta.
Nec mora ſiquid erit diſperſum collige, vaſis

[n] Exercice de la Tabatiere.

Percutiens utrumque latus, ſtringenſque decenter
Extremis Tabacum digitis, inferto viciſſim
Naribus, ac miſâ naſum prius arte remulcens
Expue, ſternuta.., porrò ne blandus in auras
Pulvis eat, ſtrophio impones in tempore tegmen.
Forſitan & Tabacum ducat genus unde requiras;
Quis Deus hanc nobis Muſæ quis repperit herbam?
Arcum humeris geſtans celereſque Diana ſagittas
Mænala pulſabat curſu, ſaltùſque propinquos.
Ecce tibi cervum defixâ cuſpide vepris
Vulnerat aurigam; dictamnum quærere cervus;
Quæſitumque diu tandem invenit: haud procul ind.
Diva novum aſpiciens fruticem miratur; & imis
Stirpibus avulſum, quæ vis innata, quis uſus
Inſcia, fert ſubitò fratri. Conſultus Apollo
Edocuit nomen, cultùſque, & dona medendi;
Tum Virgo, Braſilos quà lambit vitrea portus
Unda maris, pingues Americæ tendit in oras:

Hîc Tabacum immisit scrobibus; tellusque vocatur
Virginea ex illo, deductum à Virgine nomen.

FINIS.

17-073

E703
G581t